8. und 9. September 1831 Vormittags um 9 und Nachmittags um 3 Uhr Statt finden werden,

ladet

alle Gönner und Freunde des Schulwesens, so wie alle Eltern und Verwandten der anvertrauten Jugend

ergebenst ein

der Director

Nicol. Jos. Biedermann.

Inhalt:

Bonn 1831,
gedruckt bei Carl Georgi.

DE

MINERVAE COGNOMENTO

ΓΛΑΥΚΩΠΙΣ

OBSERVATIONES PHILOLOGICAE.

PROPOSUIT

CAROLUS WILHELMUS LUCAS.



Qui Graecorum mythologiam perscrutantur, et, quaecunque de rebus eorum antiquissimis veterum scriptorum testimoniis memoriae tradita sunt, accuratius investigarunt, facile intelligunt, deorum, poetarum, heroum, vatum et aliorum denique virorum praestantium naturam resque gestas conditas et amplificatas esse a poetis, qui, cum omni rerum divinarum et humanarum scientia divinitus inflati esse viderentur, et, ut in summo numine subsistam, hominum mentibus informatas deorum notiones esse scirent, in eorum vi effingenda et notione declaranda eo enucleatius versati sunt, quo artiori vinculo in istis regionibus iucundissima coeli temperatione, uberrima fecunditate aliarumque commoditatum complurium copia cum ipsa natura coniuncti erant ideoque variarum imaginum ornamentis fictas et commenticias fabulas ita commendarunt, ut profanum et indoctum vulgus omnes narrationes poetarum veras esse sibi persuaderet. Itaque si in antiquissima Graecorum historia excellentes viros commemorari legimus, quis diligens antiquitatis perscrutator eorum nominibus, quae propria plerumque nuncupantur, eam significationem subesse arbitrabitur, ut in singulis nominibus singulae personae cogitandae esse videantur? eam contra sententiam, qua deorum, heroum, poetarum aliorumque naturam et munera nominibus illis indicari confirmatur, quis non confitebitur probabilem esse et rei prorsus accommodatam? Nullus enim nostra aetate virum singularem illustribus illis, quas in carminibus poetae celebrarunt, laudibus insignem, Orpheum, vixisse contendat, quem etiam Aristoteles, vir summa doctrina, nunquam fuisse docuit. Quid? Nonne ex eadem opinione antiquissimae historiae clara nomina Daedali, Eumolpi, Musaei, Mantus, Polyidis, Herculis, aliorum iudicanda sunt, ita ut facta his ipsis tributa ad familias et totas gentes spectent, quae principem sibi et conditorem muneris fingendo, utpote gloriam maximam affectantes, eas virtutes excolebant, quarum laudes in se ipsas redundarent? Quid? De Homero omnium poetarum, qui unquam vixerunt, longe principe nescio an id, quod multis iisque doctissimis hominibus placuit, omni ex parte comprobandum sit. Quod de hominum nominibus antiquissimis valet, id de deorum nominibus eo maiore iure concedendum est, quod, cum nativo more nomina naturae alicuius convenientia imponerent, hanc consuetudinem eo constantius observasse Graecos consentaneum est, quo magis in antiquiorum personarum significatione definienda versabantur. Itaque cum Hermannus

in dissertatione de mythologia Graecorum antiquissima eandem fere sententiam sequatur atque idem de historiae graecae primordiis primam et praecipuam regulam acutissime, ut solet, statuat, *nomina antiquissima formam habere nominum propriorum, vim autem et significationem appellativorum*, viri doctissimi rationem nostro calculo lubenter comprobamus. Explicatio fabularum et enodatio nominum a Cicerone merito quidem appellatur periculosa consuetudo; nam a Platonis inde temporibus philosophi, ii potissimum, qui a Zenone profecti sunt, ita luserunt in argumentis ex vi nominum eliciendis, ut non sapientium hominum decreta sed delirantium somnia nobis tradi verisimile sit. At vero si quis missa omni acutula conclusione et ratiocinatione ea via, quam res ipsa praescribit, caute progreditur, non dubitandum est, quin nuda meraque veritas tandem appareat. Itaque quam supra attigi interpretandi rationem cum in multis aliis rebus, tum in nomine Γλαυκῶπις, quod Minervae apud Homerum sexcenties tribuitur, plerumque neglectam esse ratus, non invita Minerva operam qualemcunque in disputatione posuisse mihi videbar, quum idem huius deae cognomentum accuratius, quam plerumque factum est, explicare et veram significationem ex eius natura veluti e primario fonte derivare experirer, ne notionem amplius confunderemus et, similitudine aliorum nominum decepti, minus acute ea, quae secernenda essent, distingueremus. Sed iam placet ad id, quod instituimus, accedere, et, quod paulo ante generaliter posuimus, id in singulari nomine demonstrare. Si cum voce γλαυκῶπις similes comparamus, veluti εὔωπες κόραι (Lycophr. Athenaei p. 146. F.), βοῶπις, epitheton perpetuum Iunonis apud Homerum, χρυσώπιδες ἰχθύες ἔλλοὶ apud incertum poetam epicum Athenaei p. 277, D., κυνῶπις (Hom. Il. α, 159), aliasque huius modi, aperte intelligitur, εὔωψ pulchros oculos significare, λιπαρώψ lautitiam, βοῶπις maiestatem magnis et volubilibus oculis conspicuam sicuti in voce ἑλικῶπις et ἐριῶπις, χρυσῶπις piscem auri specie insignem, κυνῶπις protervitatem; neque enim notatio nominum et rerum contextus quidquam dubitationis relinquit. Tenebris contra involvitur vocis γλαυκῶπις significatio, quod neque vera notatio olim satis observabatur, neque unquam contextus, quo Minervae apud Homerum tribuitur, certam indicat notionem; unde factum est, ut Homeri interpretes vocem vario modo plerumque explicarent. Unus, de Homero optime meritus, diserte commemoretur, Io. Henr. Vossius, qui in versione praestantissima vocem constanter in vernaculam linguam transtulit, *die blauäugige*. Haec interpretatio reprehensionem non evitabit, si rationes poscimus, quoniam, quae ratio Minervae cum caeruleis oculis intercedat, omnino incertum est. Nihil enim faciunt eiusmodi oculi ad eximiam venustatem, neque pertinet singularis pulchritudo ad Minervam; horror autem, quem alii interpretando intulerunt, neque oculis caeruleis inest, isque, si inesset, a deae natura prorsus abhorreret; neque tandem γλαυκῶπις ad eas voces referri potest, quae, sicuti δῖος, δαΐφρων, aliae, ab antiquissimis inde temporibus ductae, sua vetustate ipsis Graecis saepe se obscurarunt et generalem significationem

induerunt. Videmus autem nominationem *γλαυκῶπις* ab Homero ad solam Minervam referri; aliam igitur viam ingrediendam esse visum est, qua notionem illius nominis investigaremus huic deae propriam et consentaneam. Quocirca sententiam hanc ponimus, *γλαυκῶπιν* vernacula lingua non transferendum esse *die blauäugige*, sed *die glutäugige* sive *die strahlenäugige*, latine non *caeruleis*, sed aut *caesiis*, quod Cicero (de nat. deor. I, 30.) usurpavit, aut, quod ipse statuo, *candentibus* sive *candidis* oculis conspicuam. Haec triplici modo probare conabimur, primum ex vocis notatione (*ἐτυμολογία*), deinde ex comparatione sive similitudine aliarum vocum (*ἀναλογία*), denique ex ipsius deae natura atque muneribus, quae in veterum fabulis commemorantur (*μυθολογία*).

Cap. I.

Γλαυκῶπις est forma feminina, ducta a *γλαυκώπης*, cuius vocis posterior pars redit ad *ὄπτω*, unde *ὄψ* et *ὤψ*. Eustath. ad Hom. Il. p. 768, 39. sq. Induit haec vox in compositione varias formas, quarum praecipuae sunt, *οψ*, ut *Αἰθίοψ* (*αἴθω*), *αἴθοψ*; *οπης*, ut *εὐρυόπης* sive *εὐρυόπα*; *οπος*, ut *χαροπός*; *οπευς*, ut *Αἰθιοπεύς*; *ωψ*, ut *μόνωψ*, *Κύκλωψ*; *ωπης*, ut *χρυσώπης*, *κυνώπης*; *ωπος* (*ὀξυτόνως*), ut *σκυθρωπός*, *εὐωπός*; *ωπος* (*προπαροξυτόνως*), ut *Αἴσωπος*, *Μελάνωπος*; cuius generis sunt substantiva *μέτωπον*, *πρόσωπον*, alia. Cfr. Eustath. ad Hom. Od. p. 1385, 61; 1389, 1. sq. Vocis *γλαυκῶπις* prior pars ex qua origine exorta sit, veterum grammaticorum testimonia declarant. Itaque radices sunt, *ΛΑΩ* (Hymn. Hom. in Mercur. 360.), unde *λάων*, *βλέπων*. Hesych. *ἀλαός*, *τυφλος*. Hesych. Hom. Od. *κ*, 493. *ΓΛΑΩ* (*γλῆνος*, *φάος*. Hesych. s. v. Etymol. 234, 1., *γλαϊνοί*, *τὰ λαμπρύσματα τῶν περικεφαλαιῶν*, *οἷον ἀστέρες*. Hesych. s. v. cfr. interpr. ad. h. l.), unde addito *α* intensivo *ἀγλαός*, *λαμπρός*. Hesych. s. v. porro *ἀγλαΐα*, *αἴγλη*. *ΓΛΑΥΩ*, unde *γλαύουσι*, *ἀντὶ τοῦ λάμπουσι*. Etym. 233, 19. *ΓΛΑΥΣΣΩ* i. q. *φαύσκω* (*φαύω*, *φάϝω*, *φάω*) *φαίνω*, *λάμπω*. Etym. 234, 14. *γλαυσόν*, *λαμπρόν*. Hesych. s. v. — E verbo *γλαύσσω* derivandum esse nomen adiectivum *γλαυκός*, bene monet Etymologus 233, 20. sq. his verbis, *γλαύουσιν* - *ἐξ οὗ* - *γλαύσσειν* - *γλαυκὸς τὸ ἐπίθετον τὸ σημαῖνον τὸν ἔχοντα πυρώδη τὰ ὄμματα· παρὰ τὸ γλαύσσω*, *γλαυκός*, *ὡς λεύσσω*, *λευκός*. *παρὰ δὲ τὸ γλαυκὸς γίνεται ῥῆμα παράγωγον γλαυκῶ καὶ γλαυκιῶ*. Apud Hesychium *γλαυκῶπις* explicatur *λαμπρόφθαλμος*, *εὐόφθαλμος*, et *γλαυκὴ* ab eodem dicitur *λευκή*, et *γλαυκός*, *λευκός* (*λεύσσω*, *λεύω*, *λέω*, *λάω*.), ut utramque vocem ex eodem fonte fluxisse facile intelligas. Etenim *λάω* et *γλάω* cognata sunt ut *λήμη*, *γλήμη*; *λάμυρος*, *γλάμυρος*; *λαύω*, *γλαύω*; *λημᾶν*, *γλημᾶν*; *λαύσω*, *γλαύσω*; *αἶα*, *γαῖα*; *δοῦπος*, *γδοῦπος*; *νοέω* (*νώσκω*), *γνώσκω*; *ἐλλίζειν*, *γελλίζειν*; *ἔθεν*, *γέθεν*; *ῥινός*, *γρῖνος*, alia, quae digammatis vestigia aperte servarunt. *γλαυκιόων* a

scholiasta ad Hom. Il. υ, 172. declaratur ἔμπυρον ὁρῶν. Hesychii locus, γλαυκοφόρβιδας. ἵππους ἐυγενεστάτας, quem interpretes plane neglexerunt, corruptus est et sic, opinor, emendandus, γλαυκοφόρβαδας ἵππους, εὐγενεστάτας. Significantur scilicet equi bene alti sive pascendo nitidi et propterea generosi. Bene enim φορβάδων ab Etymologo explicatur νομάδων, βοσκομένων. Probatur haec mea interpretatio Eustathii (ad Il. p. 1279, 17.) observatione, qua docetur, γλαυκὸν non oculis solum tribui, verum etiam olivae et oleo, videlicet propter pinguitudinem atque nitorem sive splendorem, qui inde exoritur.

In nostra disquisitione hoc inprimis observandum esse arbitror, notionem videndi et splendendi, quae in mente humana artissimo quodam cognationis vinculo cohaerent, ut si illam sustuleris, hanc ne cogitare quidem possis, apud Graecos non cogitatione solum, verum etiam dictione coniunctam esse. Quare cum virtutes linguarum in eo maxime sint positae, ut dictiones legibus humanae rationis accommodatae sint accuratissimeque respondeant, graecae linguae praestantia in hoc genere prae ceteris est mirabilis ac paene divina. Nam aut unum idemque vocabulum notionem, quam diximus, utramque simul significat, aut plures voces a se derivatae modo hanc, modo illam significationem exhibent. Sed rem exemplis illustremus. A δέρκω, *video*, fit δράκων (Etym. 286, 8.), cuius oculi splendidissimi et terribiles existimantur (Il. χ, 93. sq.); et δορκάς, cuius visus est Plinio teste acutissimus. Hanc sententiam egregie firmat Pindarus, cuius locos, κλέος δέδορκε, φάος δέδορκε, φέγγος δέδορκε, interpretes doctissimi active tum de gloriae, tum de lucis splendore rectissime acceperunt. Ab ὄπτω, *video*, fit ὄφις (Etym. 614, 6.), oculorum splendore, sicuti ὁ δράκων, insignis, quem αἴολον Homerus vocat (Il. μ, 208.), Pindarus γλαυκῶπα ποικιλόνωτον (Pyth. IV, 444.), et ὄμμα, quod nonnunquam lucem indicat et splendorem. cfr. Soph. Trach. 203. Aristoph. Nub. 286. A λέω, *video*, fit λέων, quippe ὀξυδερκής, αἴθων et διάπυρος. A λεύω, *video* (Il. τ, 19.), fit λευκὸς i. q. εὐσύνοπτος, in qua voce significatio candoris et splendoris primaria extitit (Hom. Od. ξ, 45.). λευκὸν apud Hesychium explicatur φαιδρόν, λαμπρόν. Qua de causa ὕδωρ λευκὸν apud Homerum (Il. ψ, 282. Od. ε, 70.) non est aqua alba, sed candida et quadam nitenti vibrantique luce insignis, quippe soli exposita, quam idem dicit ἀγλαὸν ὕδωρ (Il. β, 307. φ, 345.); contra μέλαν ὕδωρ (Il. β, 825. π, 161. φ, 202. Od. δ, 359. ξ, 91. μ, 104. ν, 409.) non est aqua nigra, sed quae in puteis apparet, locisque profundis et opacis, fontibusque, qui arbustis obsiti sunt. cfr. Schol. ad. Il. π, 161. et Eustath. ad Hom. Od. ε, 70. p. 1524, 36. A γλάω, *video*, fit γλήνεα (Il. ω, 192.) i. q. ἀγάλματα, res splendidae, sicuti stellae, oculi, alia; et ἀγλαὸς i. e. λαμπρός, cuius generis plura exempla in superioribus laudavimus. A γλαύω, *video*, fit γλαὺξ sive γλαῦκος (quam utramque formam idem significare monet grammaticus apud Valckenarium ad Ammon. 3, 18. p. 230.), avis ab oculorum fulgore nominata, διὰ τὸ

πυρῶδες τῶν ὄψεων (Etym. 235, 17.); et *γλαυκός*, cuius vocis significatio eadem ratione de splendore interpretanda est. In verbo *φάω* iisque, quae inde derivantur, eandem notionem et videndi et splendoris coniunctam reperimus, idque nisi tam perspicue, quam in praecedentibus, ita tamen, ut regulam propositam vel his confirmari facile probetur. Etenim vocabulis, quae huius originis sunt, nonnunquam declaratur aliquid *videri*, *indicari* et *apparere*, nulla ratione splendoris habita, veluti *πεφήσεται ὄλεθρος* (Il. ρ, 155.) idem est quod *γενήσεται* (cfr. Il. δ, 278. ε, 864. 867.); nonnunquam splendoris tantum significationem eadem vocabula admittunt, veluti *ἠέλιος φαέθων* (Il. λ., 735. cfr. Il. β, 456. χ, 28. Od. η, 102.); nonnunquam denique utraque significatio coniuncta reperitur; etenim *φάεα* (Od. π, 15.) et oculos indicant et splendorem. Huic rationi fortasse cognata est constructio casus quarti cum verbis graecis, quibus videndi inest significatio. *βλέπειν* est *oculis videre*; inde derivandum est, *videri*, *oculis aliquid declarare* sive *obtutu aliquid prae se ferre*, veluti, *βλέπων ἀστραπὰς* (Aristoph. Acharn. 541. cfr. Aves 1169.), qui oculis fulgur emittit; *σῦς πῦρ δεδορκώς* (Hom. Od. τ, 446.), aper ignem obtutu declarans; *ὁρᾷν ἀλκὰν* (Pind. Ol. IX, 165.), speciem roboris et fortitudinis prae se ferre; in quo genere loquendi verbum notionem videndi exprimit quidem, sed generaliter et minus enucleate, idque, ni fallor, omnino intelligitur veterum testimoniis, ut vel hoc loco Aeschyli in Persis 79.

Κυάνεον δ' ὄμμασι λεύσσων
φονίου δέργμα δράκοντος.

Lessingius (oper. T. XIII, p. 180. ed, Berol. 1826.), vir summa doctrina ornatus, vocabulum germanicum *glau (glauch, glaer)*, Saxoniae inferiori proprium, quod de claris et acutis oculis usurpari contendit, magnopere commendat ea de causa, quod graecae voci *γλαυκὸς* simillimum sit et ad eius vim proxime accedat. Sed cum Hagedornii locum emendare et exornare conetur, quod pro *blau*, quo ille usus erat, *glau* substituit, nescio, splendoremne illa vox, quam laudat, indicet, an caeruleum colorem. Si hunc indicat, vocem reiicimus, sin illum, lubenter amplexamur. Id vero vehementer dolendum est, nomina et graeca et latina, quibus colores significantur, nostra aetate nondum esse satis accurate explorata; quae, modo acutum et diligentem interpretem nacta fuerint, singulari notioni et veritati propius adductum iri, sine ulla dubitatione affirmaverim; nisi quis, quod minus probabile est, veteres et optimos scriptores in usurpandis coloribus sexcenties accusare velit negligentiae, unde illa ambignitas orta esse videatur. Quamquam sunt plura, ut Gellius N. A. II. 26. rectissime iudicat, in sensibus oculorum, quam in verbis vocibusque colorum discrimina; inopia in latina lingua maior quam in graeca.

Sed ut iam ad id, unde disgressi sumus, redeamus, summam huius disputationis eam statuimus, ut voci *γλαυκὸς* flammae speciem et candoris significationem primariam inesse arbitremur, reliquas autem notiones de eadem voce a grammaticis substitutas

partim fictas esse, partim e singulari quadam significatione haustas et derivatas. Vario enim modo explicatur *γλαυκὸν* apud Hesychium et Etymologum, *ἰσχυρόν*, *θρασύ*, *ἰταμόν*, *φοβερόν*; *γλαυκίζειν* apud Hesychium idem esse perhibetur, quod *ἀμβλυωπεῖν*, atque *γλαύκωμα* sive *γλαύκωσις* idem quod *ἀμβλυωπία*. Utramque vim, quae a primaria discedere videtur, infra ad rationem revocabimus, et, quomodo partim delenda partim rectius intelligenda sit, dicemus.

Cap. II.

Sequitur disputationis nostrae pars secunda, qua prima disquisitio per se satis certa et proba extra omnem dubitationem ponetur; versatur enim in comparatione variarum dictionum, quibuscum vera significatio vocis *γλαυκῶπις* sive *γλαυκή* (nam haec etiam vox Minervae tribuitur apud Soph. Oed. Col. 678. Eurip. Troad. 799.) ita coniuncta est, ut eius vera significatio aperte perspiciatur. Ac primum quidem Aurora *γλαυκή* appellatur apud Theocritum Idyll. XVI, 5.

Τίς γὰρ τῶν ὁπόσοι γλαυκὰν ναίουσι ὑπ' ἀῶ,

ex qua verborum coniunctione apparet, quem colorem cogitare consentaneum sit; haud dubie candentem et igneum, quem eundem significant loci homerici, in quibus *Ἠώς* (*ἄω*, *αὔω* i. q. *λάμπω*), humana specie induta, dicitur *ῥοδοδάκτυλος*, Il. *α*, 477. Od. *κ*, 144. *κροκόπεπλος*, Il. *ϑ*, 1. *φαεσίμβροτος*, Il. *ω*, 785. *χρυσόθρονος*, Od. *ξ*, 502. eiusque equi *Λάμπος* et *Φαέθων* nominantur. Od. *ψ*, 246. Deinde Luna ab Empedocle vocatur *γλαυκῶπις* (Carm. v. 176. p. 520. ed. Sturz.) his verbis,

ἀπεσκνίφωσε δὲ γαίης
τόσσον, ὅσον μήνης γλαυκώπιδος ἔπλετο εὖρος,

cui oculos, ut par est, candentes tribuunt etiam poetae, veluti Euripides laudatus a scholiasta ad Apollon. Rhod. I, 1280.

γλαυκῶπίς τε στρέφεται μήνη.

Tum serpentes voce *γλαυκῶπις* nuncupantur a Pindaro Pyth. IV, 444.

κτεῖνε μὲν γλαυκῶπα τέχναις ποικιλόνωτον ὄφιν,

et apud eundem Ol. VI, 76. commemorantur *γλαυκῶπες δράκοντες*, quod Thierschius minus recte germanice convertit *braunlicht*; interpretes graeci bene explicant *λαμπροὺς καὶ στίλβοντας ἔχοντες ὀφθαλμούς*. Cfr. Olymp. VIII, 48. sq. Porro *λέων γλαυκιόων*, quod Homerus dicit (Il. *υ*, 172.), a scholiasta recte declaratur, *ἔμπυρον ὁρῶν*. Idem luculenter perspicitur in Hesiodi loco (Scut. Herc. 428—430.), ubi Hercules dicitur *δεινὸν*

δρῶν ὄσσοισι, *λέων ὥς* — *γλαυκιόων δ᾽ ὄσσοις δεινόν*. In his versibus *δεινὸν* additum utrique verbo *δρῶν* et *γλαυκιόων*; consulto autem rem instituit poeta, quod prius verbum heroi, alterum leoni tribuit; homini enim glauci oculi minus recte conveniunt. A voce *γλαυκὸς* nonnullarum avium nomina derivata sunt, quarum oculi candore illo et splendore insignes habebantur. In earum numerum ponamus anatum speciem illam, de qua Athenaeus p. 395. C *τὸ δὲ λεγόμενον γλαυκίον διὰ τὴν τῶν ὀμμάτων χρόαν μικρῷ ἔλαττόν ἐστι νήττης*. cfr. Eustath. ad Hom. p. 1451, 63. Eadem ex ratione noctua a Graecis dicta est *γλαύξ*, quae vox, cum, quid sonet, apertum sit, proprie *γλαυκῶπις* esse debet. Schol. ad Hom. Il. *υ*, 172. Si Aurorae et Lunae, porro serpenti, leoni, singulari anatum speciei et noctuae coruscantes et ignei oculi tribuuntur, non videtur de voce *γλαυκὸς* controversia esse posse. Iam vero ut illud rei naturae accommodatum esse quisque fatebitur, ita idem color pertinet ad oculos aliorum animalium, veluti felium, luporum, caprarum (Plin. H. N. VIII, 50.) et reliquorum eiusdem generis; quod nescio an certis graecorum scriptorum locis probari possit. Quid multa? res ipsa in aperto est; caesii sive candentes oculi in tenebris sunt clariores; nam, Plinio teste, *nocturnorum animalium, veluti felium in tenebris fulgent radiantque oculi, ut contueri non sit; et caprae lupoque splendent lucemque iaculantur; vitulo marino et hyaenae in mille colores transeunt subinde; quin et in tenebris multorum piscium refulgent, sicut aridi robustique caudices vetustate putresque.* H. N. XI, 37. Idem dicit XXXVII, 5. *felium pantherarumque oculos radiare, non perspici, in sole hebetari, umbris refulgere et longius quam ceteros fulgere.* Quae dicta sunt ad vim splendoris in voce *γλαυκῶπις* probandam, ea confirmat *χαρῶψ* sive *χαροπός*, vocabulum simillimae significationis, quidquid statuant grammatici et veteres et recentiores (cfr. Schneideri Lex. gr. s. v. *χαροπὸς* et Eustath. ad Hom. Od. p. 1703, 30.). Optime vocem interpretatur Hesychius, *χαροπός· περιχαρής*, *γλαυκός*, *ξανθός*, *φοβερός*; et Cyrillus Lex. ms. *χαροπός*. *εὐόφθαλμος*. Composita est vox e *χαρὰ* (*χαίρω*) et *ὄψ*, eaque proprie indicatur homo gaudium oculis significans (*περιχαρής*). Quodsi imago animi vultus est, indices oculi, laetitiae animus in oculis potissimum conspicitur splendore et alacritate; deinde laetitiae notione paulo sublata servarunt splendorem (*τὸ γλαυκόν*), qui in oculis animalium terribilium ad terrorem (*τὸ φοβερὸν*) transferebatur. Ita declarandi sunt *χαροποὶ λέοντες* (Od. *λ*, 611) et *χάρων ὁ λέων*, qui a veteribus existimabatur quasi *κατ᾽ ἀντίφρασιν μὴ χαρὰν ποιῶν*; quod interpretationis genus ineptissimum est. Similiter leones dicuntur *αἴθωνες* (Il. *β*, 839. *κ*, 177.) et equi (Il. *κ*, 23.), in quibus animus maxime fervidus apparet. cfr. Eustath. ad. l. l. Haec tenenda sunt apud Homerum, qui nullam coloris vim in hac voce agnoscit. Posteriores alius alium statuerunt, negligenter sane et minus definite. Praeterea audiamus doctissimum scholiastam ad Apollon. Rhod. I, 1280. *χαροπὴν δὲ τὴν ἠῶ ἔφη διὰ τὸ λαμπρόν. Ἡ γὰρ ἡμέρα λαμπρύνει φωτίζουσα τὸν ἀέρα. τὸ δὲ γλαυκὸν καὶ χαροπὸν συνωνύμως λέγεται ἐπὶ τοῦ λαμπροῦ. Διὸ καὶ ἀπήνεγκε τὸ*

διαγλαύσσουσιν (Apollon. Rhod. I, 1281) ἀντὶ τοῦ φωτίζουσι καὶ λαμπρύνουσιν. Ut supra Aurora γλαυκῶπις appellabatur, ita eadem χαροπὴ dicitur apud Apollon. Rhod. l. l.

Ἦμος δ' οὐρανόθεν χαροπὴ ὑπολάμπεται ἠώς.

Idem vocabulum leonibus tribuitur in hoc Theocriti loco Id. XXV, 142.

ὅς δή τοι σκύτος αὖον ἰδὼν χαροποῖο λέοντος.

Utramque vocem χαροπὸς et γλαυκὸς coniunctam reperimus apud Theocritum Id. XX, 25. his verbis,

ὄμματά μοι γλαυκᾶς χαροπώτερα πολλὸν Ἀθανᾶς.

Vide Pollucem II, 61. Oculis iis, quibus noctu etiam et in tenebris cerni potest, homines adeo praeditos fuisse, memoriae traditum est a recentioribus scriptoribus. cfr. Suet. Tiber. c. 67. et Casaub. obs. ad. l. l. Quam oculorum naturam integrae genti propriam fuisse Casaubonus probat e loco Solini c. 20. *Albanorum glauca oculis, id est picta inest pupilla, adeo ut nocte plus quam in die cernant.* *picta* mirum in modum dictum est, ut mihi videtur, de pupilla versicolore, ut apud Horatium, *picta cauda* sc. pavonis. Satir. II, 7, 98. Eiusmodi oculis videndi acies hebetata est, eumque morbum veteres medici vocant ἀμβλυωπίαν sive γλαύκωμα, oculos vero *connivere*, γλαυκίζειν; quamquam in his iam aliquantum mutata est vocis γλαυκὸς primaria significatio, ita ut ad nostram disputationem non pertineat. Ex antiquioribus tamen unum audiamus Empedoclem, qui Physicus appellatur, de candentibus istis oculis disputantem. Etenim cum de animalibus placita accuratissime exponeret eorumque singulas partes et affectiones enucleate pertractaret, comparatione inter candentium et nigrorum oculorum naturam instituta hoc iudicavit teste Aristotele Problem. 14, 14. Διὰ τί οἱ πρὸς μεσημβρίαν οἰκοῦντες μᾶλλόν εἰσι μελανόφθαλμοι; ἢ (non ἤ, ut Sturzius in textum recepit) γλαυκὰ μέν ἐστι (minus recte ἔστι vulgo editur) τὰ ὄμματα δι' ὑπερβολὴν τοῦ ἐντὸς θερμοῦ, μέλανα δὲ διὰ τὴν τούτου ἀπουσίαν; ὥσπερ καὶ Ἐμπεδοκλῆς φησι. Καθάπερ οὖν τῶν πρὸς ἄρκτον οἰκούντων γλαυκὰ ὄμματά ἐστι, τῷ τὸ ἐντὸς θερμὸν κωλύεσθαι διεκπίπτειν διὰ τὸ ἐκτὸς ψυχρόν, οὕτω τῶν πρὸς μεσημβρίαν οἰκούντων τὸ μὲν ὑγρὸν διὰ τὸ περιέχον θερμὸν οὐκ ἐκπίπτει· τὸ δὲ θερμὸν μηδενὸς ἀντιφράττοντος ἐκπίπτει. τὸ δὲ λειπόμενον ὑγρὸν μέλαν ποιεῖ· τῇ γὰρ τοῦ φωτὸς ἀπουσίᾳ τὸ λειπόμενόν ἐστι σκοτῶδες. ἢ τοῖς τοῦ λοιποῦ σώματος χρώμασιν ὁμοιοῦται τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ χρῶμα; διὸ τῶν πρὸς ἄρκτον λευκῶν ὄντων γλαυκὰ τὰ ὄμματα (τοῦ γὰρ λευκοῦ τοῦτο ἐγγὺς τὸ χρῶμα) καὶ τῶν πρὸς μεσημβρίαν μελάνων ὄντων μέλανα καὶ τὰ ὄμματα. Leguntur haec apud Sturzium p. 418. cum quibus comparanda est eiusdem Empedoclis sententia servata ab Aristotele de gener. anim. 5, 1. τὸ μὲν οὖν ὑπολαμβάνειν τὰ μὲν γλαυκὰ (sc. ὄμματα), πυρώδη, καθάπερ Ἐμπεδοκλῆς φησί, τὰ δὲ μελανόμματα πλεῖον ὕδατος ἔχειν, ἢ πυρός, καὶ διὰ τοῦτο

τὰ μὲν ἡμέρας οὐκ ὀξὺ βλέπειν, τὰ γλαυκά, δὶ ἔνδειαν ὕδατος, θάτερα δὲ νύκτωρ, δὶ ἔνδειαν πυρός, οὐ λέγεται καλῶς. *)

Ad illa Aristotelis verba Ioannes Philoponus haec observavit fol. 105. b. (cfr. Empedocl. ed. Sturz. p. 419.). Ἐμπεδοκλῆς τὸ μὲν αἰσθητήριον τῆς ὄψεως — ποιῶν ἐκ τῶν δ' στοιχείων, τὴν δὲ ὄψιν αὐτήν φησι τὴν τῆς ψυχῆς δύναμιν καθ' ἣν ὁρῶμεν, ἥτις καί ἐστιν εἶδος τοῦ ὀφθαλμοῦ, ταύτην δὴ τὴν ὄψιν πῦρ λέγων, ἔλεγε, ὅτι ἐν οἷς ὄμμασιν (ita recte emendavit Sturzius vulgatum ὄμματα) [ἐπεὶ ἐκ τῶν δ' εἰσὶ στοιχείων] πλεονάζει μὲν τὸ πῦρ, ἐλλείπει δὲ τὸ ὕδωρ, ταῦτα τὰ ὄμματά εἰσι γλαυκά· τὸ γὰρ πῦρ λευκὸν καὶ ὁ γλαυκὸς ὀφθαλμὸς τοιοῦτος· λευκὸς γὰρ καὶ αὐτός· ἐν οἷς δὲ τὸ μὲν πῦρ ἐλλείπει, πλεονάζει δὲ τὸ ὕδωρ, μελανόμματα. καὶ διὰ τοῦτό φησι Ἐμπεδοκλῆς τὰ γλαυκὰ (ita recte Sturzius pro γλαυκὴ) ἡμέρας μὴ ὁρᾶν δι' ἔνδειαν ὕδατος· δεῖ γὰρ τῷ μέλλοντι ὁρᾶν ὕδατος· τὰ μὲν οὖν γλαυκὰ ἔλεγε μὴ ὁρᾶν τῆς ἡμέρας διὰ ταῦτα, τὰ δὲ μελανόμματα πάλιν τῆς νυκτὸς μὴ ὁρᾶν δι' ἔνδειαν πυρός· διὰ γὰρ τὸ μὴ ἔχειν πῦρ πολύ, διὰ τοῦτό φησι οὐχ ὁρῶσι τὰ μελανόμματα νυκτός. Quam Empedoclis argumentationem physici nostrae aetatis probent, necne, id non curamus; nobis sufficit demonstrasse, quomodo Graecorum auctores satis antiqui doctrinaque in primis probati vocem γλαυκὸν ad oculos relatam interpretati sint. Nam Homerus ceterique scriptores ex sua quisque mente considerandi et intelligendi sunt. Cfr. Goethii, summi viri, egregium librum de colorum doctrina. Tom. II, p. 2. sq. Sententiam, quam proposuimus, satis antiquam probat Anacreon, igneam illam vim (τὸ γλαυκόν), quae in Minervae oculis posita esse videbatur, naturae humidae (τὸ ὑγρόν), quam ad Veneris oculos refert, opponens his verbis,

τὸ δὲ βλέμμα νῦν αληθῶς
ἀπὸ τοῦ πυρὸς ποίησον
ἅμα γλαυκόν, ὡς Ἀθήνης,
ἅμα δ' ὑγρόν, ὡς Κυθήρης.

quo loco (Odar. XXVIII, 20) non oculorum color, sed natura indicatur. Etenim sicuti ὑγρὰ ὄμματα oculi sunt molles, resoluti, amore tabescentes, sive natantes et libidine quadam suffusi, quos eosdem *putres* Horatius vocat, ita γλαυκὰ ὄμματα oculos significant vividos, splendidos, alacres et volubiles. Hac significatione translata non solum puellae amorem fortem atque fervidum, sed etiam aegrum illum, quo animus absumitur et lento quasi igni torretur, egregie describit poeta. Restat ut de duobus Luciani locis

---

*) Attamen Aristoteles ipse in eodem capite, quo accurata de oculis glaucis disputatio continetur, ab Empedoclis sententia non admodum discedere videtur, quum dicit, ἀσθένεια δέ ἐστιν ἡ γλαυκότης, porro, ἔστι δὲ τὸ μὲν γλαύκωμα ξηρότης μᾶλλον τῶν ὀμμάτων — ὁ δ' αὖ νυκταλώπηξ ὑγρότητος πλεονασμός. Sed vide illa acute disputata.

breviter dicamus, quibus luculenter apparet, oculos, quales Minerva habuisse perhibetur, adeo abfuisse a pulchritudine indicanda, ut etiam nonnihil venustatis detrahant. Puellarum pulchritudinem caesiis, quos Latini vocant, oculis detrimentum accipere, declarant Terentii verba, Heautontimor. V, 5, 17.

rufamne illam virginem,
caesiam, sparso ore, adunco naso? non possum, pater, (amare).

In dialogo igitur, quo Venere, Iunone et Minerva de pulchritudine inter se certantibus Paridem arbitri partes agentem inducit ille deorum irrisor, quaerit Venus ex Minerva, cur nudum caput non exhibeat spectandum, galea deposita; porro interrogat non sine sale, num forte metuat, ne ille oculorum candor (*τὸ γλαυκὸν τῶν ὀμμάτων*) sibi damno sit, remoto illo, quo terrorem incutiat, videlicet galea. Tum Minerva detracta galea cum reliquis deabus nuda adstat, in eamque summa cum ironia haec verba dicta esse coniicio, *ὦ Ζεῦ τεράστιε, τῆς θέας, τοῦ κάλλους, τῆς ἡδονῆς! οἷα μὲν ἡ παρθένος, ὡς δὲ βασιλικὸν αὐτῇ καὶ σεμνὸν ἀπολάμπει καὶ ἀληθῶς ἄξιον Διός.* Deinde Paris deam missam facit, nulla eius pulchritudinis habita ratione. Idem de oculis Minervae probat alter Luciani locus in colloquio inter Iovem et Vulcanum habito, ubi Vulcanus, obstetricis munere functus, Minervam ex Iovis capite natam cum formosam nominasset, addit, *γλαυκῶπις μέν, ἀλλὰ κοσμεῖ καὶ τοῦτο ἡ κόρυς.* Quem locum qui accurate inspexerit, non potest dubitare, quin Lucianus, contumeliosissimus deorum interpres, oculos Minervae candentes in reprehensionem et in ludibrium vocet atque illam deformitatem illudque faciei vitium galeae perpetuo tegumento imminui et quasi medicamentis quibusdam illiniri existimet. Ridiculum merito, ne dicam ineptum, videri potest, si dea, maiestate summa insignis, oculis iis, quorum in superioribus mentionem saepe fecimus, praedita cogitatur. Neque tamen haec ratio pugnat cum superstitione, qua imbuta est antiquitas, sed eidem prorsus accommodata est et consentanea. Nam quae antiquissimis temporibus de natura deorum statuta erant atque pie sancteque in religionem recepta, ea et postea, cum superstitionis terroribus solutae et in libertatem vindicatae essent hominum mentes, religiosissime sunt observata et retenta, quoniam externa singulorum deorum specie mutata de ipsa deorum vi et notione multum dignitatis pristinaeque sanctitatis detrahi credebatur. Multa exstant huius rei apud scriptores antiquos testimonia, quibus doceri possit, quam constanter deorum cultus antiquissimus per omnes aetates sit conservatus, quamque difficulter dii aut eorum saltem sacerdotes sacras institutiones aut novari aut turbari passi sint. Unum exemplum diserte commemoremus ex Pausaniae historiis (III, c. 16, 1); nam in Hilairae et Phoebes delubro duorum signorum alterum quum e sacris virginibus una exornandum suscepisset, novam amota vetere faciem reposuit; idem vero factura in altero per somnium visa est videre deam, quae se a proposito deterreret. Fictae sunt eiusmodi narrationes a sacerdotibus, ut externum cultum deorum constanter reti-

nendum esse significarent. Hunc unum et continuatum stilum, quem hieraticum non male dixerunt recentiores, in Minerva, ut par est, invenimus observatum, quamvis sensum pulchri offendere et laedere videatur. Neque poterat quisquam praeter Lucianum in oculis Minervae ansam captare iocandi atque ludendi, nisi qui in cognitione religionis Graecorum caecus esset; etsi equidem non dubitaverim, quin Luciano, viro acutissimo, missa irridendi consuetudine id persuasum fuerit, niti omnem primariam hominum et notionem et cogitationem imaginibus ex rerum natura depromtis. Ex antiquissimis enim temporibus regula constituta est et lex a Graecorum artificibus nunquam neglecta, quae Minervam sine galea conspici non patitur; cuius rei id vel maximum argumentum est, quod statuae Minervae nullis neque telis neque armis ceteroqui insignes, galea tamen non carent, ita ut, si scriptores inferioris notae, Silius Italicus Punicor. VII, 460, Coluthus, alii, Minervam ex proelio reduçem sine galea epulis interesse carminibus tradunt, hac ipsa re magnam in antiquitate cognoscenda imperitiam luculenter declarent, seque in mythologiae legibus adhibendis caecos esse prodant.

Considerantibus nobis laudatos locos, e diversis temporibus petitos, miranda videbatur et antiquorum et recentiorum interpretum magna dissensio, qui tantum aberant, ut singularem colorem voce *γλαυκὸς* significari existimarent, ut etiam omnes colores, partim singulos et meros, partim vario modo inter se commixtos intelligerent, partim sublata omni coloris notione terroris sive horroris speciem indicari contenderent, prout singulorum locorum sensus suadere videbatur. Illi vero, qui, coloris vi neglecta, nihil nisi terrorem declarari autumant, egregie mihi videntur errare, quod, cum rei ipsius causa supersedeant, ea tantum, quae in effectu posita sunt, considerant. Conf. schol. ad Hom. Il. ε, 422. Etenim leonum, draconum, felium, noctuarum oculi candente colore, quo refulgent, sive igneo obtutu terrorem movent; inest autem vocabulo *γλαυκῶπις* primaria et propria significatio splendoris sive candoris, derivata et translata terroris, quod Homerus his verbis expressit Il. α, 199.

αὐτίκα δ' ἔγνω
Παλλάδ' Ἀθηναίην· δεινὼ δέ οἱ ὄσσε φάανθεν,

id est, ut Eustathius ad h. l. observat, *δυσαντίβλεπτοι τῷ Ἀχιλλεῖ ἐμφάνησαν οἱ τῆς Ἀθηνᾶς ὀφθαλμοί.* Alii minus probabiliter verba interpretantur. Vide schol. ad h. l.

Iam vero cum omnis splendor colorem quendam indicet, eum colorem potissimum cogitemus necesse est, qui ex ignis, solis, lunae auroraeque radiis exortus in nostrum conspectum venit. Qui color multifariam speciem prae se ferre potest, partim pallidior ut ad albetudinem fere transeat, partim ad ruboris similitudinem accedat, sicuti apud scriptores latinos coloris purpurei notio in tanta varietate versatur, ut de oloribus, rosis, sanguine, violis et mari usurpetur, quem colorem purpureum diversis temporibus diversum fuisse probare studet La Cerda ad Virg. Georg. IV, 275. Idem valet de voce graeca *πορφύρεον*,

qua non colorem singularem, sed splendorem significari rectissime iudicat Fr. Aug. Wolfius in lection. de Homero, edit. ab Ustero. T. I, p. 161. Itaque κῦμα πορφύρεον ad mare refertur, quia a sole collucet, albescit et vibrat, quod propterea τὸν αἰγλήεντα vocavit Bacchylides. Apud Anacreontem Apospasm. 25. Venus dicitur πορφυρέη, quam idem χρυσῆν vocat. Od. 57, 8. Mare γλαυκὸν eodem modo intelligendum esse, consentaneum est; cognata dictio est λευκὴ θάλασσα, quae apud Hesychium exponitur ἡ κλυζομένη. *Candens* (sic enim vocem γλαυκὸς latine reddere placet) simili modo dicitur luna (Cic. de re publ. I. ed. Heinrich. p. 18.), ferrum (Ovid. Fast. IV, 287.), carbo (Cic. de off. II, 7.). Cfr. Val. Flacc. III, 481. Ovid. Metam. VI, 49. I, 435. Vitruv. VIII, 3. IX, 4. Cic. de nat. deor. II, 15. Tusc. quaest. I, 28. Oculos Minervae caesios vocat Cicero (de nat. deor. I, 30.), Neptuni contra caeruleos. Adamantius sophista Physiognom. I, 5. p. 193. ed. Wechel. Frankf. 1587. dicit glaucos oculos pupillas minimas habere, et esse sicciores, caeruleos autem (κυανοῖ) humidos; caeruleos splendore carere (ἀλαμπεῖς), glaucos in albetudinem transire (ὑπολευκότεροι).

Itaque ut eorum, quae disputavimus, summam faciamus, intelligitur vocem γλαυκός, quo magis ad antiquissima illa tempora revolvitur, prae ceteris indicare splendorem, qualicunque flammeo colore insignem; inde deductam esse terroris notionem; eos autem scriptores, qui eadem voce alium colorem sive viridem sive caeruleum indicarint, negligenter rem suam egisse, quod splendoris, primariae videlicet significationis, vi postposita singularem quendam colorem sibi finxerunt.

Cap. III.

Transgrediamur ad tertiam partem disquisitionis, qua probabimus oculos candentes sive splendore et igneo colore conspicuos in Minervam γλαυκῶπιν non solum quadrare, sed eius naturae ita esse consentaneos, ut tales deae tribuere etiam necesse sit. Etsi vera multisque exemplis egregie probata est illa virorum doctorum sententia, deorum naturam ex nominum eorum enodatione elici et accurate intelligi posse, videndum tamen est, ne illa lex non usurpari possit in omnibus eiusmodi disquisitionibus. Nomina deorum propria sive primaria, quae graeca sunt Iovis, Neptuni, Apollinis, Minervae, aliorum, quos diis maiorum gentium adnumerant, quin hac via explicari possint, vehementer dubito, quod, cum partim ad religionis Graecorum incunabula redeant, partim adeo extra fines graecae linguae posita multis populis communia sint, originem ex antiquissimis inde temporibus ducere et ex eodem quasi fonte cum ipsa lingua nata et

derivata esse videntur. Quare inanes plerumque nebulas captant, qui ex vocibus istis nativis singularem quandam vim enodare conantur. Neque vero de illa lege, quae in graeca deorum nomina cadit, latina eximenda sunt, et Cicero, in hac parte studiorum parum cautus, saepius egregie fallitur, et, ut alii lapsi sint, luculenter probat. Cfr. de nat. deor. II, 26. Procedente tempore et deorum natura ad humanas notiones devocata, postquam vocibus appellativis vim divinam indicare et, ut ita dicam, interpretari coeperunt, amplus campus idemque salebris admodum impeditus aperitur, in quo ingenii acumine bene adhibito multa egregia de natura muneribusque deorum investigari possint. Quae cum ita sint, neque comprobaverim, quae acutissimi ingenii vir, Hermannus (de mythol. graec. antiquiss. p. 21. Opusc. T. II, p. 190.), de nomine Minervae statuit, quum vocem *Ἀθήνη* interpretatur *Nelactam*, dictam ab eo, quod lacte non esset nutrita; quae coniectura hausta est ex Eustathii commentariis in Il. p. 83. ed. Rom. ubi haec leguntur, *Ἀθήνη, οἱονεὶ ἀθήλη τις οὖσα ὡς μὴ θηλάσασα — καὶ αὐτὴ ἐκ τοῦ μὴ θηλάσαι τὴν κλῆσιν ἔλαχε;* neque, quod alii inter veteres excogitarunt, cum *Ἀθήνην* vocatam esse putarent *παρὰ τὸ ἀθρεῖν, τὸ βλέπειν, ἀθρήνη τις οὖσα, ὡς τῶν μελλόντων καὶ δεόντων προβλεπτική*. Eustath. ad Il. p. 83; neque, quod Rueckertus nuper (Der Dienst der Athene. p. 7.) proposuit, vocem ducens ab *α* intensivo et *θάω*, ita ut idem significet, quod *τιθήνη*; sed missa omni coniectura vocem utpote nativam vix ullo modo illustrari posse arbitror. Aliorum interpretationem vide in Sanctii Minerva p. 2.

Etsi quidem in hac disquisitione, sicuti in omni de rebus Graecorum antiquissimis commentatione, ad Homerum pergendum est, veluti primarium antiquissimae historiae fontem, tamen quisque litterarum peritus concedet atque contendet, eum suas fabulas qualescunque non ipsum finxisse, sed e veterrimorum poetarum carminibus partim hausisse partim amplificasse adeoque sacram doctrinam religionibus traditam carmine epico pertexuisse. Nam ut etiam res divinas humanasque saepe permiscuerit, deosque hominibus, homines diis simillimos fecerit, in plurimis, quidquid religiones veteres docuerint, integre prodit. Itaque nobis persuasum est, nomen *Γλαυκῶπις* non ex epicorum poetarum carminibus, sed ex antiquissimis populorum et sacerdotum religionibus esse repetendum, cuius rei argumentum vel in eo gravissimum ponitur, quod Homerus nomen illud et substantive et absolute usurpat, tanquam usu satis tritum et confirmatum (Cfr. Il. *θ*, 373. 420. Od. *γ*, 135. *ν*, 389.). Templum in arce Troiae conditum vocat *νηὸν Ἀθηναίης γλαυκώπιδος ἐν πόλει ἄκρῃ*. Il. *ζ*, 88. Neque vero in hoc loco vocem *γλαυκώπιδος* ornatus causa, sed distincte et significanter usurpatum esse, probabile est, si consideras, Alcaei poetae temporibus Sigei, Troadis oppido, e ruinis Troiae condito, templum fuisse *Γλαυκωπόν*, Minervae consecratum, cuius meminit Strabo Geogr. XIII, p. 600. Item Athenarum arcem *Γλαυκώπιον* appellatam esse, testimonio probatur Strabonis Geogr. VII, p. 299. et

Eustathii ad Hom. Od. p. 1451, 62. Accedit tertius locus e scholiis ad Hom. Il. ε, 422; in quo loco depravatissimo consideranda est omnino lectio, quae Didymi nomen fert; quamquam et haec pessime corrupta est. Sed fortasse loci integritas coniectura restituetur, si et scholiastae verba, καὶ γὰρ ἡ γλαυκῶπις οὐκ ἀπὸ τοῦ ᾗ τ' ἄκρην τινα γλαυκῶπις ἵζει, comparaveris cum lectionis varietate in scholiis minoribus, quae Didymi vocantur; eaque exhibent ἄκρης θῖνα γλαυκώπιον. Uterque locus cum probae et integrae sententiae vestigia continere videatur, operae pretium est, quidquid in alterutro probabile inveniatur, colligere et coniungere. Ac primum quidem in scholiastae loco, ᾗ τ' ἄκρην τινὰ γλαυκῶπις, quot verba, tot vitia. Nam vocem ἵζει locum poscere, quo versari Minerva credatur, quis non videt? ἄκρην corruptissimum est sensumque tollit; veram lectionem praebent scholia minora, quam recipiendam iudicamus. τ', quod nihil in nostro loco valere potest, praepositionis ἐπί, quae desideratur, vestigia servavit. τινά, quod ab eo profectum videtur, qui ἄκρην legeret, in τινὸς mutandum est, nisi id omnino eiicere voles, tanquam inculcatum ab indocto. γλαυκῶπις denique inepta est lectio; nam cum γλαυκῶπις declarandum sit, idem eodem declaratur, quod profecto vanum est. Ad hanc corruptelam sanandam scholia minora, etiamsi veram lectionem non praebeant, multum saltem valent ad veram investigandam. Itaque meo iudicio locum sic restituendum suadeo, καὶ γὰρ ἡ γλαυκῶπις οὐκ ἀπὸ τοῦ ᾗ ἐπ' ἄκρης [τινὸς] γλαυκωπίου ἵζει. Ad quam coniecturam probandam accedit, quod hac ratione, quam secuti sumus, totus locus scholiastae sententiae est consentaneus, at plane aut contrarius aut nullus, si aliud qualecunque statuimus. Legitur enim post sententiam, quam emendare conati sumus, καὶ τἄλλα δὲ τῶν ἐπιθέτων ἐπιοῦσιν ἡμῖν πάρεστιν ὁρᾶν οὐκ ἀπὸ τῶν ἱερῶν τόπων ὠνομασμένα, ἀπὸ δὲ τῶν ψυχικῶν ἐνεργειῶν. Atqui antiquis temporibus Atheniensium arcem γλαυκώπιον vocatam esse, supra demonstravimus. Itaque hoc nomen scholiasta sine dubio respexit. Nos, ne sensus loci tolleretur, γλαυκώπιον mutavimus in γλαυκωπίου. Ex his facile intelligitur, quam perversa et inepta sit sententia grammatici, qui Minervam vocatam esse γλαυκῶπιν contenderet, quod sedem haberet in Glaucopio; cum potius arx γλαυκώπιον appellata sit propter Minervam γλαυκῶπιν, cuius erat in arce templum insigne. Sed haec hactenus.

Quaestionem de natura, quae omnia contineat et tueatur, de eius vi procreandi et causa gignendi et augendi, antiquissimi Graecorum moderatores et omnes deinceps philosophi tam vario modo tractarunt et illustrare conati sunt, ut nonnulli quatuor naturas, ex quibus omnia constare probabile sit, divinas esse censeant, alii singulis principatum concedant, alii denique alias coniungant. Qua de re quum inter homines doctissimos maxima dissensio sit et discrepantia, constat tamen in principiis rerum investigandis et divina quadam natura exornandis Graecos ab antiquissimis inde temporibus singularem deorum vim in *spiritu nobis circumfuso* posuisse et in eius qualitate definienda diligentissime

versatos esse. Illum vero, quem diximus, spiritum non simplicem esse iudicabant, sed compositum, eiusque compositionem non inter se commixtam, sed distinctam et quasi gradibus seiunctam, ita ut animum inferiorem terraeque propiorem, quo vivimus atque spiramus, aerem vocarent, superiorem contra a terra nostra remotissimum aetherem nuncuparent. Quapropter quoniam id, quod plerumque aerem dicunt, significatione videlicet latiori, in nostra disputatione sensus ambiguitatem efficere possit, non dubitavi vocem *spiritus* usurpare, Ciceronis aliorumque auctoritate probatam, ut animum, qui terram circumfundit, omnem et universalem et significarem et una quasi cogitatione complecterer. Etenim aer et aether graeca sunt; in latina lingua desiderantur voces singulares, quibus illa accuratissime exprimantur, eaque ipsa res Ciceroni haud raro difficultatem quandam peperit, cum aeris aut aetheris notionem expressurus, quasi fugiens vocem graecam, cui non haberet latinam respondentem, periphrasi adhibita diceret *animum spirabilem* (de nat. deor. II, 8.), aut *aerem eum*, *quem spiritu ducimus* (l. c.), aut denique *animalem spirabilemque naturam* (l. c. II, 36.).

Redeamus ad nostram disputationem. Aer (ἄω, ἄνεμος, *animus*, *anima*. Cic. Tusc. quaest. I, 19. Acad. quaest. I, 7. Lucret. I, 716. AEP i. e. AFEP, unde αὖρη, aura) spiritus est infimus, terrae proximus, qui moveri potest et agitari, eique habitus tribuitur inconstans et incertus et diversa diversis temporibus species, tum obscurior, tum clarior et pellucidior, prout crassior et concretior est aut tenuior et purior. Neque vero ea philosophorum tantum opinio est, sed antiquissimorum Graecorum sententia, Homeri testimonio centies probata. Vide Il. ξ, 288. ad quem locum scholiastae, *δι' ἠέρος αἰθέρ' ἵκανεν] ἡ διπλῆ, ὅτι καθ' Ὅμηρον ἀὴρ ὁ ἀπὸ γῆς μέχρι νεφῶν τόπος· ὁ δὲ ὑπὲρ τὰ νέφη αἰθὴρ καὶ ὁμονύμως τῷ στερεμνίῳ οὐρανός.* Cfr. Od. ν, 94. 241. et schol. Aether contra, quem eundem coelum vocant (Cic. de nat. deor. I, 13.), aere superior, natura sua constat ex altissimis ignibus; ex quo puro et libero eodemque acerrimo et mobilissimo ardore innumerabiles flammae siderum oriuntur, quae omnia clarissima luce collustrat. Immensus est ipse et constantiae aeternitate praeditus, Iovis nomine etiam appellatus, in quem hic versus e Thyeste Ennii apud Ciceronem de nat. deor. II, 2.

Adspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Iovem.

Non vana aut ficta illa sententia est ab recentioribus, sed ex Homero veluti e fonte ducta et in totius antiquitatis assensu confirmata. Nonnulla exempla adscribamus, veluti quae leguntur Il. β, 412.

Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε, κελαινεφές, αἰθέρι ναίων!

cfr. Il. δ, 166. Od. ο, 522. et schol. ad h. l. Cic. de nat. deor. I, 15. *αἰθήρ* ab *αἴθω* derivatur i. e. *καίω* sive *λάμπω*, unde *Αἰθίοπες* dicuntur *διὰ τὸ ἐπικεκαῦσθαι τὴν ὄψιν ὑπὸ τοῦ Ἡλίου*. cfr. Eustath. ad Od. p. 1385, 60. *αἰθίοψ* cognomen Iovis est de

aethere candente, quem obtinet, sumtum. Eustath. ad Hom. Od. l. c. αἰθρία ἐστὶ ἡ κατὰ τὸν αἰθέρα εὐδία. Eust. ad l. c. unde ἐν αἰθρίᾳ εἶναι idem est quod *sub divo morari*, quod Horatius usurpavit. Odar. II, 3, 23. ἀστήρ ad eundem fontem redit, ac si sonaret αἰστήρ i. e. λαμπτήρ. Quid locos laudemus ex Euripide, qui, cum saepius philosophum et Anaxagorae quidem discipulum agat, quam poetam, nostram sententiam sexcentis locis comprobat. Unum Euripidis locum a Cicerone (de nat. deor. II, 25.) laudatum adscribamus,

vides sublime fusum, immoderatum aethera,
qui tenero terram circumiectu amplectitur:
hunc summum habeto divom, hunc perhibeto Iovem.

Cfr. Lucian. Iup. tragoed. T. II. p. 689. ed. Reiz. — Versum quem scholiasta ad Aristophanis Ranas v. 100 laudat,

ὄμνυμι δ' ἱερὸν αἰθέρ', οἴκησιν Διός,

Euripidis esse non Sophoclis, ut vulgata lectio indicat, omnes, qui locum accuratius considerant, facile intelligunt. Veram lectionem praebet egregius codex Ravennas, et, quo modo vulgatum illud Σοφοκλέους inculcatum sit, docet Valckenarius Diatr. Eurip. p. 49.

Aer igitur interiectus inter mare et coelum Iunonis nomine consecratur, quae est soror et coniux Iovis, quod ei et similitudo est aetheris et cum eo summa coniunctio. Cic. de nat. deor. II, 26. Aetherem autem sive Iovem, μητιέτην, filiam ex se ipsum genuisse, fabulae antiquissimae tradunt, quam Minervam dicunt, cuius nomen est graecum Ἀθήνη, πολύβουλος, πολύμητις. Quae cum ex aethere procreata sit, vis eius ad ignem pertinet; itaque in ea dea, cuius est in supremis mundi regionibus origo, coelestis est et aetherea id est ignea natura. Haec interpretatio reapse probatur, eamque veteres fabularum indagatores declararunt. Aiunt enim, Minervam ideo quod humanis mentibus prudentiam subministret, Iovis capite prognatam memorari, i. e. de summa aetheris parte editam esse (Macrob. Saturn. I, 17. Pausan. Attic. XXIV, 2.); porro medium aetherem Iovem esse, Iunonem imum aerem cum terra, Minervam *aetheris cacumen*. Macrob. Saturn. III, 4. Neque tamen ille aether ignem continet vulgarem hominibusque communem, sed divinum summaque intelligentia praeditum, a quo cum animi et ingenii humani cultus proficiscitur, tum litterarum et artium. Nam si naturas, quascunque olim philosophi statuerunt, ut rerum principia et causas docerent, accuratius consideramus, omnia fere opera magna et egregia igne quasi singulari et artificiosa divinae mentis vi e Graecorum antiquissimorum opinione effecta esse intelligimus. Inde illa fabularum narratio haud dubie interpretanda est, quam antiquitas nobis tradidit de Prometheo, qui quasi magister artium igne diis surrepto hominibusque tradito omnem mortalium cognitionem et condidisse et amplificasse perhibetur; eadem ex ratione consideranda est Minerva, quae, sive ex ipso Iovis capite oriundam esse censes, Vulcano aut Prometheo opem

ferente (cfr. Hemsterh. ad Luciani deor. dial. T. I. p. 227. atque insignem locum Platonis in Protagora p. 321. C. sq.), sive eam, ut alii tradunt, ab Intelligentia, quam *Μῆτιν* Graeci vocant, natam esse mavis, summae prae se fert prudentiae et sapientiae notionem, cum sit *νοῦς, πρόνοια, φρόνησις, βουλή* (cfr. doctas Eustathii observationes ad Il. p. 84, 35. sq.); eademque constans semper, fidelis et valida (unde nomen eius apud Homerum *Ἀτρυτώνη*. Od. δ, 762.), consilia dat et praecepta roboris et fortitudinis plena, simulque efficit, ut, quibus favet, et prudenter cogitare, et bene eloqui, et strenue agere possint; quae denique alios, quorum salus in periculum discrimenque vocatur, ex oculis hominum eripit, aliis mentem turbat intellectumque omnino tollit, cuius monitis Ulysses ille apud Homerum ex tot tantisque periculis emersisse perhibetur. Mirifice cohaerent *Ἀθήνη*, quae *Πρόνοια* vocatur, et *Προμηθεύς* (*μῆτος, μῆτις, μῆδος, μῆθος*. Cfr. Hesych. et Etym. M.), sive mythologiam spectas, sive etymologiam. Possum longus esse in hac disputatione multisque veterum locis rem probare, sed nolo ea repetere, quae unicuique et Homeri et tragicorum poetarum lectio affatim suppeditat.

Fuit Delphis templum Minervae *Προνοίας*, cui Croesus, Lydorum rex, scutum aureum dedicavit (Pausan. Phocic. VIII, 4.); quo spectat versus antiqui poetae servatus a Iuliano orat. IV, p. 149. B. edit. Spanhem.

ἵκετο ἐς Πυθὼ καὶ ἐς γλαυκῶπα Προνοίην.

Cfr. Eustath. ad Hom. Il. p. 83, 44. Eidem Minervae *Προνοίᾳ* Prasiis in Attica templum condidit Diomedes. Bekkeri Anecd. p. 299, 6. His adde locum e Demosthenis oratione I. in Aristogit. ed. Reisk. T. I. p. 780, 17. *εἰσὶ ταῖς πόλεσι πάσαις βωμοὶ καὶ νεὼ πάντων τῶν θεῶν. ἐν δὲ τούτοις καὶ Προνοίας Ἀθηνᾶς, ὡς μεγάλης καὶ ἀγαθῆς θεοῦ, καὶ παρὰ τῷ Ἀπόλλωνι ἐν Δελφοῖς κάλλιστος καὶ μέγιστος νεὼς εὐθὺς εἰσιόντι εἰς τὸ ἱερόν.* Itaque Minerva saepe dicitur acriter et acute videre, saepe videre dicitur *κατ' ἐξοχήν*, tanquam acutissimae mentis species. Declarantur haec religionibus. Nam Amplii, in Laconica templum fuit Minervae *Ὀφθαλμίτιδι*, a Lycurgo conditum (Pausan. Lacon. XVIII, 1.), quae eadem *Ὀπτίλετις* vocabatur, teste Plutarcho Lycurg. c. 11, qui docet, oculos a Doribus *ὀπτίλους* nominatos esse. Cfr. Pausan. l. l. Item in arce Argivorum templum fuit Minervae *Ὀξυδερκοῦς*, a Diomede dicatum. Pausan. Corinth. XXIV, 2. Quibus adiunge Olympiodori scholia ms. inedita in Gorg. Platon. c. 40. *ἱστορεῖται γάρ, ὅτι Πτιλλίας Ἀθηνᾶς ἱερὸν ἐποίησε. πτίλλους δὲ ἐκάλουν τοὺς ὀφθαλμούς.* Videntur illi *πτίλλοι*, qui etiam *ἴλλοι* nuncupantur (Hesych. v. *ἰλλώπτειν*, ibique Hemsterhus. observ.), posterioribus scriptoribus, medicis potissimum, singularem quandam oculorum speciem declarasse; nam *πτιλώσις* morbum significat oculorum, quorum palpebrae tumidae et inflammatae conspiciuntur, palpebrarum crinibus absumtis. Inde *ἰλλώπειν* Hesychio est *καταμύειν*.

Quae cum ita sint, neque debet Minerva cum Marte confundi, si de bello sermo

est, neque cum Vulcano, si eae artes commemorantur, quae ignis ope coluntur. Siquidem in bello et prudentia et fortitudo iungendae sunt, prioris virtutis laudes transferendae sunt ad galeatam Minervam, quae non gregarios milites, sed copiarum duces sapientia regit; alterius contra partes Marti caedibus insigni tribuamus necesse est. Qua de causa in Homeri carmine Iliaco comparatione instituta Minervae superiorem locum concedi videmus, Marti inferiorem; quod intelligitur, si vel duos locos pro multis laudamus, veluti Il. ο, 71.

εἰσόκ' Ἀχαιοὶ
Ἴλιον αἰπὺ ἕλοιεν, Ἀθηναίης διὰ βουλάς.

et ibidem ν, 569.

ἔνθα μάλιστα
γίνετ' Ἄρης ἀλεγεινὸς ὀϊζυροῖσι βροτοῖσιν.

Cfr. Il. δ, 439. ε, 31. Eodem modo iudicamus de Minerva et Vulcano, quorum hic est praeses earum artium, quae ad ignem pertinent, in iisque colendis ipse mirabili dexteritate excellit, illa autem tum harum artium tum reliquarum facultatem tribuit et scientiam, cum sit omnis intelligentiae fons et origo. Uno verbulo mentionem faciamus singularis et mirificae originis, quae utrique ita contigit, ut Minerva ab ipso Iove nulla adhibita muliere prognata sit, Vulcanus ex Iunone sola sine ullo viro genitus esse perhibeatur. Etsi in omnibus artibus colendis pariter versatur Minerva, mirifice tamen aetherea sive ignea natura eo indicatur, quod Vulcano matrimonii vinculo adiungitur.*) Etenim in antiquissimis Graecorum fabulis inter mulieres deorum atque maritos ipsos mira plerumque est similitudo et eiusdem naturae coniunctio, sicuti in Iove et Iunone, in Neptuno et Amphitrite, Vulcano et Cabira (Κάβειρα, ΚάϜειρα, κάειρα, κάειν), de qua re Welckerus docte disputavit in egregio libro, Die aeschylische Trilogie Prometheus. p. 165. et 209. sq. Cfr. Strab. X. p. 274. At vero ne pugnantia tradere videar, admonendum est, illam rem, quae Minervae cum Vulcano fuisse in nonnullis fabulis commemoratur, proprie matrimonium appellari non posse, sed nihil nisi Vulcani conatum impudicum, unde Erichthonium exortum narrant, cuius in tutela Athenas fuisse voluerunt antiquae historiae. Cfr. Pausan. Lacon. XVIII, 7. Schol. ad Hom. Il. β, 547. Quam totam narrationem a multis veterum mythographis traditam ab illepida etymologia parum ingeniose petitam esse, recte iudicavit Heynius (in Obs. ad Apollod. p. 328. sq. Cfr. Eratosth. Catast. c. 13. Philostr. Imag. II. c. 27.), id vero tenendum esse, nihil nisi

*) Poetae quidem, cum non semper fabularum fontem accuratissime observarent, singula nonnunquam confundunt maxime in rebus cognationis cuiusdam vinculo artissime coniunctis; veluti Ibycus refert Herculi, laborum aerumnis defatigato, balnea calida instituta esse a Vulcano; at Minervam Herculi hoc munere gratificatam esse Pisander tradit apud schol. ad Aristoph. Nub. 1047. his verbis,

τῷ δ' (Ἡρακλεῖ) ἐν Θερμοπύλῃσι θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη
ποιεῖ θερμὰ λοετρὰ παρὰ ῥηγμῖνι θαλάσσης.

naturae cognationem, quae inter utrumque deum intercedat, his fabulis indicari. Minerva enim eo ipso, quod aetherem significat, purissima est neque ullis unquam libidinibus fuit obnoxia, sed sempiterna virginitate insignis. Id luculenter probat eius nomen *Πάλλας*, quo ornatur apud Homerum reliquosque scriptores, virginem videlicet significans. Bellica virgo apud Silium Minervam indicat; graece vocatur *παρθένος* eiusque templum *παρθενών* (Pausan. V, 11); apud alios *μισόνυμφος* nuncupatur. *Παλλάς*, *πάλλαξ*, *πάλληξ*, latinum pellex, eiusdem notae fuerunt antiquissimis temporibus et puellam sive virginem significarunt, quod Tib. Hemsterhusius acute coniecit ad Lennep. Etym. p. 543. Explicat Photius Lex. et Etym. M. *παλλακίς*, *ἡ παῖς*. — *παλλάκιον· μειράκιον*. Hesych. Cfr. Eustath. ad Il. p. 84, 35. sq. Illa nominatio antiquissimis temporibus sine dubio honorifica paulatim in malam significationem abiit. Vide, quae disputavimus in Dissert. de Cratino et Eup. p. 46. Aliae formae a grammaticis laudantur, veluti *πάλλαντες· οἱ νέοι*, ut Philistides dicit apud Eustath. l. c. et sacerdotes (ut par est, Minervae) virgines *παλλάδες* apud Strabonem XVII. p. 601. vocantur.

Iam vero ut ad ipsa Minervae sacra transeamus, constat illam deam et a Graecis omnibus et ab Atheniensibus, quorum urbi nomen dedisse fertur, quam religiosissime cultam esse festaque in deae honorem instituta ita ab Atheniensibus celebrata esse, ut inde natura eius facile perspici possit. Nam in panathenaeis primo die constitutum erat, ut in Minervae honorem ab hominibus faces accensas gestantibus cursus equestres in Ceramico instituerentur (*λαμπαδοῦχος ἀγών* sive *λαμπαδηφορία*). Eundem ludum susceptum esse in honorem Promethei et Vulcani, qui cum Minerva suapte natura cognati sunt (Etym. M. s. v. *ἰκόνιον*), diserte monet scholiasta ad Aristoph. Ran. 131. his verbis, *λαμπαδηδρομίαι δὲ γίνονται τρεῖς ἐν τῷ Κεραμεικῷ, Ἀθηνᾶς, Ἡφαίστου, Προμηθέως*. Cfr. Harpocrat. s. v. *Λαμπάς*. Qua de causa Minerva Lucifera vocatur (*φωσφόρος*. cfr. Eustath. ad Od. p. 1386, 1. Od. *ψ*, 244.), eamque Homerus igneo curru vehentem finxit. Il. *ε*, 745. et Eustath. ad h. l. et *θ*, 389. Cfr. Welcker. in libro, Die Aeschyl. Trilog. Prometheus p. 120. Praeterea in templis Minerva igne perpetuo colebatur, unde, quae vis eius sit, aperte significatur. In nonnullis vero civitatibus praesertim apud Megarenses cognomine *Αἴθυια* aetherea sive ignea natura extra omnem dubitationem ponitur. Vide Pausan. Attic. V, 3 et XLI, 6. Ad quam rem illustrandam conferantur loci, quos vir clarissimus, Welckerus, proposuit et explicavit l. c. p. 279. Eodem nomine nuncupatur in Lycophronis Casandra 359.

Ἡ πολλὰ δὴ Βούδειαν, Αἴθυιαν, Κόρην,

in quibus explicandis mire nugatur scholiasta. Cfr. Pausan. I, 5, 41. Aristot. de animal. 5, 60. Falsa autem est interpretatio eorum, qui, quum de Minerva sermo est, *αἴθυιαν* *fulicam* sive *mergum* significare contendant. Sententiam, quam nos exposuimus, veterum grammaticorum auctoritate firmari, intelligitur ex Eustathii loco ad Od. p. 1385, 66.

In picturis veteribus Minervae pallium luteum invenitur, tunica flammea, quo utroque colore ignis, cui praeest, significatur. Conf. Winckelmannum op. T. II, p. 515. ed. Fernow. Denique noctuae Minervae sunt consecratae, eique in nummis fere semper attributae; cuius instituti sacri causam nullam simpliciorem video, nullam rei magis accommodatam existimo, nisi quam oculorum candor in hac avi potissimum conspicuus ultro offert. Assentitur hac in re acutissimus Homeri interpres, Fr. Aug. Wolfius, eadem de causa Minervam non inter pulchras deas referendam esse contendens. Conf. Wolfii praelectiones de Homero editas ab Ustero. Vol. I, p. 109. Itaque in solo oculorum colore similitudo societasque versatur Minervae et noctuae; quae avis lucifuga, crasso et quasi felineo capite, brevi et adunco rostro conspicua, nocturno denique cantu omnibus nota, ab antiquissimis, Cecropis saltem, ut traditum est, temporibus in rupibus, quibus arx Atheniensium firmatur, indigena, a Chandlero nuper ibidem reperta, quo alio nomine ad Minervam relata sit, difficile est ad persuadendum, nisi cum aliis statuere placet, hanc avem propterea sacratam esse, quod felium partes egerit, et, quominus placentae mellitae, urbis custodi oblatae, a muribus aut diriperentur aut devorarentur, impedierit. Attamen neque est bubo, *βύας*, neque ulula, avis illa monstrosa et ferialis,

ignavus bubo, dirum mortalibus omen,

funus aut aliam calamitatem portendens, sed noctua minor et vulgaris, *γλαύξ*, cuius supra mentionem fecimus. De qua avi vide, quae monita sunt ab interprete graeco ad Aristophanis Aves 264. (262.).*) Aliam et meliorem interpretationem de noctua si viri ingeniosiores probatam habeant, eam ut mecum benigne communicent, vehementer exopto. Neque vero cum candentes oculos a veteribus Minervae tributos esse censeam, coniecturam facio de noctua, sed quem permultis scriptorum graecorum locis demonstravimus glaucorum oculorum colorem, eum noctuae oculi luculenter comprobant. Quid? num Iupiter ideo rex deorum est compellatus, quod veteres aquilam, avium regem, ei consecrarunt? num Iuno propterea maxima maiestate insignis est, quod eidem pavonem, avem summa pulchritudine et maiestate insignem, sacram esse voluerunt? Minime. Sed cum Iupiter sit rex, Iuno regina deorum, factum est, ut huic pavo, illi aquila tribueretur. Idem de reliquis diis eorumque signis iudicandum est, veluti si Cereri apis tribuitur, columba Veneri, alia aliis. Non item de Minerva? Oculi certissima indicia praebent de hominis mente, ita ut ipsa anima in iis habitare et tanquam in speculo conspici videatur. Cur igitur miramur Graecos, quod Minervae indolem atque naturam certo oculorum colore signi-

*) In hoc scholiastae loco emendando, cum a Dindorfio nondum persanatus esse videatur, haec coniicio: p. 426, 10. ed. Dind. lege *κικκάβας*. — ibid. 11. lege *κικυμίδας*. — ibid. 19. lege *κύμινδις* (cfr. Aristoph. Av. 1177. ed. Dind. et schol. ad h. l.). — ibid. 13. lege *κύμινδιν* ex Homero. cfr. Schol. ad Il. ξ, 291. ed. Villoison.

ficaverint, sicuti Amphitrite dicitur κυανῶπις, Iuno βοῶπις, Clytaemnestra κυνῶπις? Habes genus huius disquisitionis, species igitur multas ipse invenies. Etsi vereor, ne in multis animalium nominibus ratio, quae iis intercedit cum diis, ad quos referuntur, difficilis sit ad explicandum, quod temporum iniuria illos fontes, unde vera significatio hauriri possit, penitus absorbuit, non tamen desperandum est, quin illa obscuriora quaerendo et comparando possint investigari. De Minerva saltem hoc investigationis specimen doctorum virorum iudicio proponendum esse existimavimus. Rectene de eius cognomine iudicaverim, an perperam, videant doctiores. Ego, quidcunque quis statuat, in hac disquisitione non alienam operam mihi videbor collocasse, siquidem alii sua quisque via progressi, rem ad liquidum perducent; nam investigatione et interpretatione singulorum vocabulorum, quibus Homerus usus est, haud scio an nihil sit difficilius.
